

ARTICULUS XXII.

Ad indicia criminis accusatus torqueri tantum, non etiam ultimâ pœnâ affici potest.

1. Nemo capitis condemnandus, ne quidem in criminibus occultis, & difficilis probationis *Pulchrè hac de re hïc Dn. Bernh. Zieritz.* sed vel ex propriâ confessione, vel ex sufficienti probatione. Ad indicia tamen, sat sufficientia accusatus torturæ subjici potest. Usus itaq; indiciorum diligenter attendendus, ne latius trahantur, quàm debent, *Remus hïc.*

2. Ut quis ultimo afficiatur supplicio, sufficiens probatio censetur testimonium testium duorum omni exceptione majorum, *art. 67.* etiamsi accusatus crimen confessus non sit, *art. 22. art. 69.* Quanquam enim unus testis non sufficit ad condemnandum, cum unius testimoniū regulariter nullum, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat, *l. 9. §. 1. C. de test. & Princeps sit, ut eleganter exemplo Henrici I I. Regis Francorum, declarat Iohan. Bodin. lib. 6. de Republ. 6. pag. 1185. & de Magis lib. 4. c. 2 p. 564. Vide Steph. artic. 67. & ab eo allegatum Fabrum, & omnino Zieritzium c. 67. verb. duobus ad minimum.* Ad minimum igitur duo requiruntur testes. Ubi enim numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficient, sive de causâ civili, sive criminali agatur. In ore enim duorum stat omne verbum: Copiosius hac de re ago *discurs. Acad. 2. concl. 30. & disc. 3. concl. 25.* Pluralis enim elocutio, dicente *Vlpiano*, duorum numero contenta est, *l. 12. ff. de test. consule quoq; tradita à Matth. Steph. hïc, num. 1. 2. 3. 4. 5.* Non tamen hi duo testes injurati esse debent, *hïc. Vmm. disp. 6. concl. 9. n. 60. c. nuper nobis, de testib. l. jurisjurandi, 8. C. de testib. Guil. 1. obs. 101. nu. 1. Clarissimus Dn. Herm. Goëhaus. amicus meus intimus, in proc. jurid. contra sagas & veneficos, in præloquio, p. 8.* Neq; in criminalibus testes sine juramento admittuntur, *Hip. de Mars. in pr. crim. §. diligenter, num. 166. dicens, se per hanc doctrinam liberasse aliquem à morte, Harde w. Dassel. in resp. juris in causâ pœnali maleficarum Winsensium, n. 11. 12. quod quoq; invenies, lib. 1. cons. 20.* Quæritur; si testes sine præviâ jurisjurandi præstatione deponant, & deinde post factam dispositionem jurent, an eorum testimonia validentur? Latè ego *disc. 2. append. 6.* quò me remitto brevitas ergò, & ne coccygis in morem eandem cantilenam reiterare videar, ut proverbialis locutio est. Non tamen ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorū fidem, & testium numerus definitus & coarctatus est. Latè *Prosp. Farin. in absolutissimo tractatu, de testibus, q. 80. oppos. 41. n. 114. cum seqq.*

3. Quæstio non exigua est, & quæ mihi decidenda in praxi ante annos oblata fuit: An in criminalibus duæ fœminæ plenè probare delictum, ad effectum condemnandi reum possint, & ita sint testes integræ fidei, & omni exceptione majores? Negativè respondi, quia cum acutissimo *Jcto Dn. Reimb. Bach. Echt. par. prior. vol. 2. Treutl. disp. 10. de testam. th. 4. f. eò ferè dilabor, ut in genere*